Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31624
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

penitentiam restituit. Igitur secundum quod omnia possibilia sunt credentibus sine ulla impossibilitate innumera cottidie miracula operabatur.

Quadam enim die cum quidam ad eam sal petens ueniret, sicut et ceteri pauperes et egeni innumerabiles uenire solebant pro suis necessitatibus, ipsa beatissima Brigida illa hora sal factum de lapide, quem benedixit, more poscentis sufficienter largita est. Et sic ab ea sal portans letus domum propriam rediit. Sed et hoc potissimum opus eiusdem diuinum ingeniandum esse mihi uidetur, quod inter cetera quae saluatoris instar imitatrix diuini muneris excelsissimam operata est uirtutem. Nam secundum exemplum domini et hec oculos aperuit ceci nati. Sua enim nomina et opera in suis dominus largitus est suis. Qui cum de semetipso loqueretur: ego sum lux mundi, nichilominus suis dicebat apostolis: uos estis lux mundi. Et de eisdem idem dicens intulit: opera que ego facio et ipse faciet et maiora horum facient. Ideo quem natalis partus cecum protulit natum, fides eiusdem Brigide grano comparata sinapis et consimilis eidem oculos simplices et lucidos ingenti miraculo aperuit. Hec itaque tantis uirtutibus illustris, humilitate cordis et puritate mentis et morum temperantia ac spirituali gratia plena tantam auctoritatem in diuino cultu et celebre nomen pre omnibus coetaneis uirginibus habere meruit.

Nam quadam die cum una extraneorum ad eam hospitantibus sibi extrinsecus femina cum filia xii. annorum etatis ex natali peruersatione muta ad eam ueniret uisitandam, cum digna reuerentia ut omnes solebant se inclinans et humili collo ad eius pacificum osculum procedens, ipsa omnibus affabilis Brigida ac felix conditis sale diuino sermonibus eam salubriter allocuta est; ac saluatoris nostri exemplo iubentis paruulos ad se uenire, filie manum retinens manu sua, nesciente illa quod esset muta, et uoluntatem ipsius interrogans, utrum uelato capite permanere uirgo an nuptiis tradenda esse uellet. Matre ipsius admonente quod sua filia nulla daret responsa, respondens mater dixit se non dimissuram filie manum nisi prius responsum redderet. Et cum eam secunda uice interrogaret de eadem re, respondit ei dicens: Non aliud nisi quod tu uolueris agere uolo. Ac sic postea aperto ore sine impedimento lingue et soluto ipsius uinculo sana loquebatur. Et quibus hoc eiusdem opus non nullis multorum auribus antea inauditum scrupulum non mouet? Cum hec autem esset intenta celestium meditatione, ut semper solebat suam de terrestribus ad celestia eleuans conuersationem, quandam non paruam sed grandem lardi partem cum cane dimisit. Et cum esset inquisita, non alicubi sed in loco ubi esse solebat canis, in mense transacto intacta et integra reperta est. Non enim canis ausus est comedere depositum beate uirginis, sed custos patiens lardi et idoneus contra suum solitum morem diuina refrenatus uirtute edomitus extitit. Crescente ergo cottidie miraculorum numero que uix enumerari possunt, quantum misericordie et pietatis et in pauperes elemosinarum oportune et importune postulantium operata est. Nam cum aliquis indigens cibo pauperum eam rogaret, illa ad eos qui carnes coquerent, ut ab illis aliquid pauperi deferret, festinauit.

Tunc unus illorum stolidissimus famulus qui carnes coquerat insipienter partem nondum carnis coctam in albatum ipsius sinuate uestis receptaculum transiecit, et illa non suffocato inauratu sed in suo colore candido manente portans pauperi tribuit. Nec enim et hic de eius gestis felicibus admirari debet. Confluentibus namque ad eam undique pauperibus et peregrinis ingenti fama uirtutum et nimie largitatis tractis, accedens inter eos inquit quidam leprosus optimam de armento uaccam cum optimo uitulo omnium uitulorum sibi simul dari poscebat. Nec ipsa eius audire preces distulit, sed mox quam optimam didicit de omnibus uaccam, et alienum uacce uitulum elegantem et optimum roganti infirmo uoluntarie donauit.

Et misericordia sui cum illo transmittens currum per longum et altissimum campum, ne molestiam in uacca minanda infirmus longo fessus itinere sustineret, uitulum post tergum eius in curru mitti precepit, et sic eum uacca lingens lingua et tamquam proprium diligens nemine cogente usque ad loca destinata consecuta est. Uidentes fratres karissimi quod et bruta contra consuetudinem famulabantur ei animalia.

Quidam denique in interuallo temporis alii nequissimi fures, qui nec deum nec homines uerebantur, de aliqua prouincia oblaturi uenientes et per amnem grandem facili meatu peruium egredientes, boues ipsius furati sunt. Sed eos eadem uia reuertentes impetus ingentis fluminis inundatione aquarum subito facta confortauit. Nam flumen instar muri erectum scelestissimam boum fraudem beate Brigide per se transire non permisit, sed eos furens dimergens et secum trahens, boues de ipsorum manibus liberati, loris in cornibus pendentibus ad propria armentorum bouilia reuersi sunt. Ecce et hic uirtus diuina apparet.

Cum quadam ipsa sanctissima Brigida cogente aliqua utilitatis necessitate conuentionem plebis uisitaret, in curru sedens in equis binis uehebatur; et cum in suo uehiculo meditatione theorica celestem agens in terris uitam suum ut solebat dominatorem oraret, de alto procidens loco alter bruto animo equus saliens sub curru et in ire frenatus abiens, fortiter se extorquens et de iugo semetipsum absoluens, equo altero solo sub suo remanente iugo, extitit per campestria cucurrit. Et sic manus diuina iugum pendens sine periculo sustentans, et uidente turba ob testimonium uirtutis diuine, secura in suo orans uehiculo cum uno equo sub curru posito ad plebis conuentionem discessu placabili illesa peruenit, signisque et uirtutibus suam firmam doctrinam sermonibus salutaribus et sale diuino conditis plebem hortata est. Hoc et uirtutibus ipsius uidetur nobis esse deputandum.

Cum aper ferus singularis et siluestris territus et fugitiuus esset, ad gregem porcorum Brigide felicissime concitus cursu precipiti peruenit. Quem ipsa euentu inter suos cernens benedixit, et postea impauidus ac familiaris cum ipsis permansit grege porcorum. Ecce uidetis fratres quod et bruta animalia et bestie sermonibus et uoluntati eius resistere non poterant, sed domita et subiecta sibi famulabantur. Nam cum aliquando aliquis inter ceteros eximiam de longa ueniens prouincia offerret sues pingues, et alios secum missos ire ad suam uillam quadam longo terrarum interuallo positam rogaret ut ab eo sues acciperent, per longum tamen spacium dierum tantum iiii. amplius plurium cum eos suos ministros transmisit comites. Transacto autem unius diei itinere in monte consimili regionum qui nuncupatur uocabulo grabor, sues suas quas in longinquis opinabantur esse regionibus obuias contra se uenire a lupis directas et coactas prima contemplati sunt. Et secum ille eius suas esse intellexerunt sues, et uiderunt quod agrestes lupi quos ob maximam beate Brigide reuerentiam de siluis maximis et campulis eis latissimis ut idonei pastores incoactis et inmaculatis suis laborabant.